At cruor in florem mutabitur, an tibi quondam
Fœmineos artus in olentes vertere Menthas
Persephone licuit? nobis Cinyreius Heros 730
Inuidiæ mutatus erit? sic fata cruorem
Nectare odorato sparsit, qui tactus ab illo
Intumuit, sic vt fuluo perlucida cœlo
Surgere Bulla solet, nec plena longior hora
Facta mora est, cũ flos de sanguine concolor ortus, 735
Qualem, quæ lento cælant sub cortice granum
Punica ferre solent, breuis est tamen vsus in illo.
Nanq; male hærentẽ, & nimia leuitate caducum
Excutiunt iidem, qui præstant omnia, venti.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. XI.

CARMINE dum tali syluas, animosq; ferarum
Threicius Vates, & saxa sequentia ducit,
Ecce nurus Ciconũ tectæ, lymphata
Pectora velleribus, tumuli de vertice, cernũt (ferinis
Orphea percussis sociantem carmina neruis, 5
E quibus vna, leues iactato crine per auras
En ait, en hic est nostri contemptor, & hastam
Vatis Apollinei, vocalia misit in ora,
Quæ foliis præsuta, notam sine vulnere fecit.
Alterius telum lapis est, qui missus in ipso 10
Aere, concentu victus, vocisq;, lyræq; est.
Ac veluti supplex pro tam furialibus ausis
Ante pedes iacuit, sed enim temeraria crescunt

Bella, modusq; abiit, insanaq; regnat Erinnys,
15 Cunctaq; tela forent cantu mollita, sed ingens
Clamor, & inflato Berecynthia tibia cornu,
Tympanaq;, & plausus, & Bacchei vlulatus
Obstrepuere sono citharæ, tum deniq; saxa
Non exauditi rubuerunt sanguine Vatis.
20 Ac primum attonitas etiam num voce canentis
Innumeras volucres, angues q;, agmenq; ferarum,
Mænades Orphei titulum rapuere Theatri.
Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris,
Et coeunt, vt aues, si quando luce vagantem
25 Noctis auem, cernunt structoq; vtrinq; Theatro
Vt matutina ceruus periturus arena
Præda canũ est, vatẽq; petunt, & fronde virentes
Coniiciunt Thyrsos, non hæc in munera factos,
Hæ glebas, illæ direptos arbore ramos,
30 Pars torquent silices, neu desint tela furori,
Forte boues presso subigebant vomere terram,
Nec procul hinc multo fructum sudore parantes,
Dura lacertosi fodiebant arua Coloni,
Agmine qui viso fugiunt, operisq; relinquunt
35 Arma sui, vacuosq; iacent dispersa per agros
Sarculaq;, Rastriq; graues, longiq; Ligones,
Quæ post, quam rapuere feræ, cornuq; minaces
Diuulsere boues, ad Vatis fata recurrunt,
Tendentemq; manus, atq; illo tempore primum
40 Irrita dicentem, nequicquam voce mouentem
Sacrilegæ perimunt, perq; os, (pro Iuppiter) illud
Auditum saxis, intellectumq; ferarum
Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.
Te mœstæ volucres Orpheu, te turba ferarum,

Te rigidi Silices, tua carmina ſæpe ſecutæ 45
Fleuerunt Syluæ, poſitis te frondibus Arbos
Tonſa comas, luxit, lachrymis quoq; flumina dicũt
Increuiſſe ſuis, obſcuraq; carbaſa pullo
Naides, & Dryades, paſſoſq; habuere capillos.
Membra iacent diuerſa locis, caput Hebre, Lyrãq; 50
Excipis, & (mirum) medio dum labitur amne,
Flebile neſcio quid queritur Lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis, reſpondent flebile ripæ.
Iamq; mare inuectæ flumẽ populare relinquũt,
Et Methymnææ potiuntur littore Leſbi 55
Hic ferus expoſito peregrinis Anguis arenis
Obſtitit, & ſparſos ſtillanti rore capillos
Lambit, & hymniferos inhiat diuellere vultus.
Tandem Phœbus adeſt, morſusq; inferre parantẽ
Arcet, & in lapidem rictus ſerpentis apertos 60
Congelat, & patulos (vt erant) indurat hiatus.
Vmbra ſubit terras, & quæ loca viderat ante,
Cuncta recognoſcit, quærensq; per arua piorum
Inuenit Eurydicen, cupidisq; amplectitur vlnis.
Hic modo coniunctis ſpaciantur paſſibus ambo. 65
Nunc præcedentẽ ſequitur, nũc præuius anteit,
Eurydicenq; ſuam iam tuto reſpicit Orpheus
Non impune tamen ſcelus hoc ſinit eſſe Lyæus,
Amiſſoq; dolens ſacrorum Vate ſuorum
Protinus in ſyluis matres Aedonidas omnes, 70
Quæ videre nefas, torta radice ligauit.
Qippe pedũ digitos in quantũ eſt quæq; ſecuta
Traxit, & inſolidam detruſit acumine terram.
Vtq; ſuum laqueis, quos callidus abdidit auceps,
Crus vbi commiſit volucris, ſenſitq; teneri, 75

Plangitur, ac trepidans astringit vincula motu,
Sic quæcunq; solo defixa cohæserat harum
Externata, fugam frustra tentabat, at illam
Lenta tenet radix, exultantemq; coercet.
80 Dũq; vbi sunt digiti, dũ pes, dũ quęrit, & vngues,
Aspicit in teretes lignum succedere Suras.
Et conata, femur mœrenti plangere dextra,
Robora percussit, pectus quoq; robora fiunt.
Robora sunt humeri, longos quoq;, brachia vera
85 Esse putes ramos, & non fallere putando.
Nec satis hoc Baccho est, ipsos quoq; deserit agros,
Cunq; choro meliore, sui vineta Timoli.
Pactolonq; petit, quamuis non aureus illo
Tempore, nec caris erat inuidiosus arenis.
90 Hunc assueta cohors Satyri, Bacchæq; frequẽtant,
At Silenus abest, titubantem, annisq;, meroq;,
Ruricolæ cepere Phryges, vinctumq; coronis
Ad regẽ duxere Midam, cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo,
95 Qui simul agnouit socium, comitẽq; sacrorum,
Hospitis aduentu festum genialiter egit
Per bis quinq; dies, & iunctas ordine noctes.
Et iam stellarum sublime coegerat agmen
Lucifer vndecimus, Lydos cum lætus in agros
100 Rex venit, & iuueni Silenum reddit alumno.
Huic deus optanti gratum, sed inutile fecit
Muneris arbitrium gaudens altore recepto.
Ille male vsurus donis, ait, effice quicquid
Corpore contigero fuluum vertatur in aurum.
105 Annuit optatis, nocituraq; munera soluit
Liber, & indoluit quod non meliora petisset.

Lætus abit, gaudetq; malo Berecyntius Heros.
Pollicitiq; fidem tangendo singula tentat.
Vixq; sibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam, virga aurea facta est. 110
Tollit humo saxum, saxũ quoq; palluit auro.
Contigit & glebam, contactu gleba potenti
Massa fit, arentes Cereris decerpsit aristas.
Aurea messis erat, demptum tenet arbore pomum.
Hesperides donasse putes, si postibus altis 115
Admouit digitos, postes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas vbi lauerat vndis,
Vnda fluens palmis, Danaen eludere possit.
Vix spes ipse suas animo capit, aurea fingens
Omnia, gaudenti mensas posuere ministri 120
Extructas dapibus, nec tostæ frugis egentes.
Tum vero, siue ille sua Cerealia dextra
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant.
Siue dapes auido conuellere dente parabat,
Lamina fulua, dapes, admoto dente nitebat. 125
Miscuerat puris autorem muneris vndis,
Fusile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus nouitate mali, diuesq;, miserq;,
Effugere optat opes, & quæ modo vouerat odit,
Copia nulla famem releuat, sitis arida guttur 130
Vrit, & inuiso meritus torquetur ab auro.
Ad cœlũq; manus, & splendida brachia tollens
Da veniam Lenæe pater, peccauimus inquit.
Sed miserere precor, speciosoq; eripe damno.
Mite deum numen Bacchus peccasse fatentem 135
Restituit, factiq; fide, data munera soluit.
Neve male optato maneat circumlitus auro,

Vade ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem,
Perq; iugum ripæ labentibus obuius vndis
140 Carpe viam donec venias ad fluminis ortus.
Spumigeroq; tuum fonti, qua plurimus exit,
Subde caput, corpusq; simul, simul elue crimen.
Rex iussæ succedit aquæ, vis aurea tinxit
Flumen, & humano de corpore cessit in amnem.
145 Nunc quoq; iam veteris percepto semine venæ
Arua rigent, auro madidis pallentia glebis.
Ille perosus opes syluasq;, & rura colebat,
Panaq;, montanis habitantem semper in antris.
Pingue sed ingenium mansit, nocituraq; vt ante
150 Rursus erant domino stolidæ Præcordia mentis.
Nam freta prospiciens late riget arduus alto
Tmolus in ascensu, cliuoq; extensus vtroq;
Sardibus hinc, illinc paruis finitur Hypæpis.
Pan ibi dum teneris iactat sua carmina Nymphis,
155 Et leue cærata modulatur arundine carmen,
Ausus Apollineos præ se contemnere cantus,
Iudice sub Tmolo certamen venit ad impar.
Monte suo senior iudex consedit & aures
Liberat arboribus, quercu coma cærula tantum
160 Cingitur, & pendent circũ caua tempora glandes.
Isq; deum pecoris spectans, in iudice dixit
Nulla mora est, calamis agrestibus insonat ille.
Barbaricoq; Midan (aderat nam forte canenti)
Carmine deliniit, post, hunc sacer ora resoluit
165 Tmolus ad os Phœbi, vultũ sua sylua secuta est.
Ille caput flauum lauro Parnaside vinctus,
Verrit humum, Tyrio saturata murice Palla.
Distinctamq; Lyram gemmis, & dentibus indis

Sustinet a leua, tenuit manus altera plectrum.
Artificis status ipse fuit, tum stamina docto 170
Pollice sollicitat, quorum dulcedine captus
Pana iubet Tmolus citharæ summittere cannas.
Iudicium, sanctiq; placet sententia montis
Omnibus, arguitur tamen, atq; iniusta vocatur
Vnius sermone Midæ, nec Delius aures 175
Humanam stolidas patitur retinere figuram.
Sed trahit in spacium, villisq; albentibus implet,
Instabilesq; illas facit, & dat posse moueri.
Cætera sunt hominis, partē damnatur in vnam,
Induiturq; aures lente gradientis Aselli. 180
Ille quidem cælare cupit, turpiq; pudore,
Tempora purpureis tentat velare tiaris.
Sed solitus longos ferro resecare capillos
Viderat hoc famulus, qui nec, cū prodere visum
Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras, 185
Nec posset reticere tamen, secedit, humumq;
Effodit, & domini quales aspexerit aures,
Voce refert parua, terræq; immurmurat haustæ,
Indiciumq; suæ vocis, tellure regesta
Obruit, & scrobibus tacitus discedit opertis. 190
Creber arundinibus tremulis ibi surgere Lucus
Cepit, & vt primum pleno maturuit anno
Prodidit agricolam, leni nam motus ab Austro
Obruta verba refert, dominiq; coarguit aures.
Vltus abit Tmolo, liquidumq; per aera vectus 195
Angustum citra Pontum Nepheleidos Helles
Laomedonteis Latoius astitit aruis.
Dextera Sigæi, Rhœtæi leua profundi
Ara Panomphæo vetus est sacrata Tonanti.

200 Inde nouæ primum moliri mœnia Troiæ
Laomedonta videt, susceptaq; magna labore
Crescere difficili, nec opes exposcere paruas.
Cunq; Tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formã, Phrygiæq; Tyranno
205 Aedificant muros, pacto pro mœnibus auro.
Stabat opus precium rex inficiatur, & addit
Perfidiæ cumulum, falsis periuria verbis.
Non impune feres Rector maris, inquit, & omnes
Inclinauit aquas ad auaræ littora Troiæ.
210 Inq; freti formam, terras conuertit, opesq;
Abstulit agricolis, & fluctibus obruit agros.
Pœna neq; hæc satis est, regis quoq; filia monstro.
Poscitur æquoreo, quã dura ad saxa reuinctam
Vindicat Alcides, promissaq; munera dictos
215 Poscit equos, tantiq; operis mercede negata
Bis periura capit superatæ mœnia Troiæ.
Nec pars militiæ Telamon sine honore recessit.
Hesioneq; data potitur, nam coniuge Peleus.
Clarus erat diua nec aui magis, ille superbit
220 Nomine, quã soceri, si quidẽ Iouis esse nepotem
Contigit haud vni coniux dea contigit vni.
Nanq; senex Thetidi Proteus prædixerat vdæ.
Concipe, mater eris iuuenis, qui fortibus armis
Acta patris vincet, maiorq; vocabitur illo.
225 Ergo ne quicquam mundus Ioue maius haberet,
Quamuis haud tepidos sub pectore senserat ignes
Iuppiter, æquoreæ Thetidis connubia vitat.
Inq; sua Aeaciden succedere vota nepotem
Iussit, & amplexus in virginis ire marinæ
230 Est sinus Aemoniæ, curuos falcatus in arcus.

Brachia procurrunt, vbi si foret altior vnda,
Portus erat, summis inductum est æquor arenis.
Littus habet solidum, quod nec vestigia seruet,
Nec remoretur iter, nec opertum pendeat alga.
Myrthea sylua subest bicoloribus obsita baccis. 235
Est specus in medio, natura factus, an arte
Ambiguum, magis arte tamen, quo sæpe venire
Frenato Delphine sedens Theti nuda solebas.
Illic te Peleus, vt somno victa iacebas,
Occupat, & quoniam precibus tentata repugnas, 240
Vim parat, innectens ambobus colla lacertis,
Quod nisi venisses variatis sæpe figuris
Ad solitas artes, auso foret ille potitus.
Sed modo tu volucris, volucrē tamen ille tenebat.
Nūc grauis arbor eras, hęrebat in arbore Peleus. 245
Tertia forma fuit maculosæ Tigridis, illa
Territus Aeacides a corpore brachia soluit.
Iscq; deos pelagi vino super æquora fuso,
Et pecoris fibris, & fumo Thuris adorat,
Donec Carpathius medio de gurgite Vates 250
Aeacide dixit, thalamis potiere petitis.
Tu modo, cum gelido sopita quiescit in antro,
Ignaram laqueis, vincloq; innecte tenaci,
Nec te decipiat centum mentita figuras.
Sed preme quicqd erit, dum q̄d fuit ante reformet. 255
Dixerat hæc Proteus, & condidit æquore vultū,
Admisitq; suos in verba nouissima fluctus.
Pronus erat Titan inclinatoq; petebat
Hesperium temone fretum, cum pulchra relicto
Nereis ingreditur consueta cubilia fluctu. 260
Vix bene virgineos Peleus inuaserat artus,

Illa nouat formas, donec sua membra teneri
Sensit, & in partes diuersas brachia tendit.
Tunc demũ ingemuit, neq; ait sine numine vincis,
265 Exhibita estq; Thetis, cõfessam amplectit Heros,
Et potitur votis, ingentiq; implet Achille.
Fœlix & nato, fœlix & coniuge Peleus.
Et cui si demas iugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant, fraterno sanguine sontem,
270 Expulsumq; domo patria Trachinia tellus
Accipit, hic regnum sine vi, sine cæde regebat
Lucifero genitore satus, p atriumq; nitorem
Ore ferens Ceyx, illo qui tempore mœstus,
Dissimilisq; sui, fratrem lugebat ademptum.
275 Quo post, quam Aeacides fessus, curaq;, viaq;,
Venit, & intrauit paucis comitantibus vrbem,
Quosq; greges pecorũ, quæ secũ armẽta trahebat,
Haud procul a muris sub opaca valle reliquit,
Copia cum facta est adeundi tecta tyranni,
280 Velamenta manu prætendens supplice, quis sit,
Quoq; satus memorat, tantum sua crimina cælat,
Mentiturq; fugæ causam, petit vrbe, vel agro
Se iuuet, hunc contra placido Trachinius ore
Talibus alloquitur, mediæ quoq; cõmoda plebi
285 Nostra patent Peleu, nec inhospita regna tenemus
Adiicis huic animo monimẽta potentia clarum
Nomen, auũq; Iouem, nec tẽpora perde precando.
Quod petis omẽ feres, tuaq; hæc pro parte vocato.
Qualiacunq; vides, vtinam meliora videres.
290 Et flebat, moueat tantos quæ causa dolores,
Et Peleus, Comitesq; rogant, quibus ille profatur.
Forsitan hanc volucrẽ, rapto quæ viuit, & omẽs

Terret aues, ſemper pennas habuiſſe putetis.
Vir fuit, & tanta eſt animi conſtantia, quantum
Acer erat, belloq; ferox, ad vimq; paratus, 295
Nomine Dædalion, illo genitore creatus,
Qui vocat auroram, cœloq; nouiſſimus exit.
Culta mihi pax eſt, pacis mihi cura tuendæ,
Coniugiiq; fuit, fratri fera bella placebant.
Illius virtus gentes, regesq;, ſubegit, 300
Quæ nunc Thiſbeas agitat mutata Columbas.
Nata erat huic Chione, quæ dotatiſſima forma
Mille Procis placuit, bis ſeptem nubilis annis.
Forte reuertentes Phœbus, maiaq; creatus,
Ille ſuis Delphis, hic vertice Cyllenæo 305
Videre hanc pariter, pariter traxere calorem.
Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo.
Non fert ille moras, virgaq; mouente ſoporem
Virginis os tangit, tactu iacet illa potenti.
Vimq; dei patitur, nox cœlum ſparſerat aſtris. 310
Phœbus anũ ſimulat, præreptaq; gaudia ſumit.
Vt ſua maturus compleuit tempora venter,
Alipedis de ſtirpe dei verſuta propago
Naſcitur Autolycus, furtum ingenioſus ad omne,
Qui facere aſſuerat patriæ non degener artis 315
Candida de nigris, & de candentibus atra.
Naſcitur e Phœbo (nanq; eſt enixa gemellos)
Carmine vocali clarus citharaq; Philammon
Quid peperiſſe duos, & dis placuiſſe duobus,
Et forti genitore, & Progenitore Tonante 320
Eſſe ſatam prodeſt: an obeſt quoq; gloria multis?
Obfuit huic certe, quæ ſe præferre Dianæ
Suſtinuit, faciemq; deæ culpauit, at illi

Ira ferox mota eſt, factisq; placebimus inquit.
325 Nec mora, curuauit cornu neruoq; ſagittam
Impulit, & meritam traiecit arundine linguam.
Lingua iacet, nec vox, tentataq; verba ſequũtur,
Conantemq; loqui, cum ſanguine vita reliquit.
Quam miſer (o pietas) ego tunc, patrioq; dolorem.
330 Corde tuli, fratrique pio ſolatia dixi.
Quæ pater haud aliter quã cautes, murmura Ponti
Accipit, & natam delamentatur ademptam.
Vt vero ardentem vidit, quater impetus illi
In medios fuit ire rogos, quater inde repulſus
335 Concita membra fugæ mandat, ſimilisq; iuuenco
Spicula Crabronum preſſa ceruice gerenti.
Qua via nulla fuit, iam tum mihi currere viſus
Plus homine eſt, alasq; pedes ſumpſiſſe putares.
Effugit ergo omnes, veloxq; cupidine leti
340 Vertice Parnaſi potitur, miſeratus Apollo,
Cum ſe Dædalion ſaxo miſiſſet ab alto,
Fecit auem, & ſubitis pendentem ſuſtulit alis.
Oraq; adunca dedit, curuos dedit vnguibus hamos
Virtutem antiquam, maiores corpore vires,
345 Et nunc accipiter nulli ſatis æquus, in omnes
Sæuit aues, aliisq; dolens fit cauſa dolendi.
Quæ dum Lucifero genitus miracula narrat
De conſorte ſuo, curſu feſtinus anhelo,
Aduolat armenti cuſtos Phocæus Anetor.
350 Et Peleu, Peleu, magnæ tibi nuncius adſum
Cladis ait, quodcunq; ferat, iubet edere Peleus.
Pendet & ipſe metu trepidi Trachinius oris.
Ille refert, feſſos ad littora curua iuuencos
Appuleram, medio cum Sol altiſſimus orbe

Tantum respiceret, quantum superesse videret, 355
Parsq; boum fuluis genua inclinarat arenis,
Latarumq; iacens, campos spectabat aquarum
Pars gradibus tardis illuc errabat, & illuc.
Nant alij, celsoq; extant super æquora collo.
Templa mari subsunt, nec marmore clara, nec auro, 360
Sed trabibus densis, lucoq; vmbrosa vetusto.
Nereides, Nereusq; tenent, hos nauita, templi
Edidit esse deos, dum retia littore siccat.
Iuncta palus huic est densis obsessa Salictis,
Quam restagnantis fecit maris vnda paludem. 365
Inde fragore graui strepitus, loca proxima terret
Belua vasta, Lupus, syluisq; palustribus exit,
Oblitus & spumis, & crasso sanguine, rictus
Fulmineus, rubra suffusus lumina flamma.
Qui quanquam sæuit pariter rabieq;, fameq;, 370
Acrior est rabie, neq; enim ieiunia curat
Cæde boum, diramq; famem finire, sed omne
Vulnerat armentum, sternitq; hostiliter omnes.
Pars quoq; de nobis funesto saucia morsu,
Dum defensamus, leto est data, sanguine littus 375
Vndaq; prima rubet, demugiteq; paludes.
Sed mora damnosa est, nec res dubitare remittit.
Dum superest aliquid, cuncti coeamus ad arma,
Arma capessamus, coniunctaq; tela feramus.
Dixerat agrestis, nec Pelea damna mouebant. 380
Sed memor admissi Nereida colligit orbam,
Damna suo inferias extincto mittere Phoco.
Induere arma viros, violentaq; sumere tela
Rex iubet Oetæus, cum quis simul ipse parabat
Ire, sed Alcyone coniux excita tumultu 385

Prosilit,& non dum totos ornata capillos,
Disiicit hos ipsos,colloq; infixa mariti,
Mittat vt auxilium sine se,verbisq; precatur,
Et lachrymis,animasq; duas,vt seruet in vna.
390 Aeacides illi,pulchros regina,piosq;
Pone metus,plena est promissi gratia vestri.
Non placet arma mihi cõtra noua mõstra mouere,
Numen adorandum pelagi est,erat ardua turris,
Arce locus summa,fessis loca grata carinis.
395 Ascendunt illuc,stratosq; in littore Tauros
Cum gemitu aspiciunt,vastatoremq; cruento
Ore ferum,longos infectum sanguine villos.
Inde manus tendens inaperti littora Ponti,
Cœruleam Peleus Psamathen,vt finiat iram
400 Orat,opemq; ferat,nec vocibus illa rogantis
Flectit Aeacide,Thetis hanc pro coniuge supplex
Accepit veniam,sed enim irreuocatus,ab acri
Cæde,Lupus perstat dulcedine sanguinis asper,
Donec inhærentem laceræ ceruice iuuencæ
405 Marmore mutauit,corpus,pariterq; colorem,
Omnia seruauit,lapidis color indicat illum
Iam non esse Lupum,iam non debere timeri.
Nec tamen hac profugum consistere Pelea terra
Fata sinunt,Magnetas adit vagus exul,& illic
410 Sumit ab Aemonio purgamina cædis Acasto.
Interea,fratrisq; sui,fratremq; secutis
Anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx,
Consulat vt sacras hominum oblectamina sortes,
Ad Clariũ parat ire deum,nam tẽpla profanus
415 Inuia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.
Consilij tamen ante sui fidissima,certam

Te facit Alcyone, cui protinus intima frigus
Ossa receperunt, buxoq; simillimus ora
Pallor obit, lachrymisq; genæ maduere profusis.
Ter conata loqui, ter fletibus ora rigauit. 420
Singultuq; pias interrumpente querelas,
Quæ mea culpa, tuam dixit carissime mentem
Vertit? vbi est, quæ cura mei, prior esse solebat?
Iam potes Alcyone securus abesse relicta?
Iam via longa placet? iã sum tibi carior absens? 425
At puto per terras iter est? tantumq; dolebo,
Non etiam metuam? curæq; timore carebunt?
Aequora me terrent, & Ponti tristis imago,
Et laceras nuper tabulas in littore vidi.
Et sæpe in tumulis sine corpore, nomina legi. 430
Neve tuum fallax animum fiducia tangat,
Quod socer Hippota des tibi sit, qui carcere fortes
Contineat ventos, & cum velit æquora placet,
Cum semel emissi tenuerunt æquora venti,
Nil illis vetitum est, incommendataq; tellus 435
Omnis, & omẽ fretũ est, cœli quoq; nubila vexant,
Excutiuntq; feris rutilos concursibus ignes.
Quo magis hos noui (nam noui, & sæpe paterna
Parua, domo vidi) magis hos reor esse timendos.
Quod tua si flecti precibus sententia nullis 440
Care potest coniux, nimiumq; es certus eundi,
Me quoq; tolle simul, certe iactabimur vna.
Nec nisi, quæ patiar, metuam, pariterq; feremus
Quicquid erit, pariter super æquora lata feremur,
Talibus Aeolidis dictis, lachrymisq; mouetur 445
Sydereus coniux, neq; em̃ minor ignis in ipso est.
Sed neq; propositos pelagi dimittere cursus,

Nec vult Alcyonen in partem adhibere pericli,
Multaq; respondit, timidum solantia pectus.
450 Non tamen iccirco causam probat, addidit illis
Hoc quoq; lenimen, quo solo flexit amantem.
Longa quidē est nobis omnis mora, sed tibi iuro
Per patrios ignes (si me modo fata remittant)
Ante reuersurum, quā Luna bis impleat orbem.
455 His vbi promissis spes est admota recursus,
Protinus eductam naualibus, æquore tingi,
Aptariq; suis pinum iubet armamentis.
Quā rursus visa veluti præsaga futuri
Horruit Alcyone, lachrymasq; emisit obortas,
460 Amplexusq; dedit, tristiq; miserrima tandem
Ore vale, dixit, collapsaq; corpore toto est.
At iuuenes, quærente moras Ceyce, reducunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,
Aequaliq; ictu scindunt freta, sustulit illa
465 Humentes oculos, stantemq; in puppe recurua,
Concussaq; manu dantem sibi signa maritum
Prima videt, redditq; notas, vbi terra recessit
Longius, atq; oculi nequeunt cognoscere vultus,
Dum licet, insequitur fugientem lumine pinum.
470 Hæc quoq;, vt haud poterat spacio summota videri,
Vela tamen spectat summo fluitantia malo.
Vt nec vela videt, vacuum petit anxia lectum,
Seq; toro ponit, renouat lectusq;, locusq;,
Alcyones lachrymas, & quæ pars admonet, absit.
475 Portibus exierant, & mouerat aura rudentes,
Obuertit lateri pendentes nauita remos.
Cornuaq; in summa locat arbore, totaq; malo
Carbasa deducit, venientesq; accipit auras.

Aut minus, aut certe mediũ non amplius æquor
Puppe secabatur, longeq; erat vtraq; tellus, 480
Cum mare sub noctem tumidis albescere cœpit
Fluctibus, & præceps spirare valentius Eurus.
Ardua iandudum demittite cornua Rector
Clamat, & antennis totum subnectite velum.
Hic iubet, impediunt aduersæ iussa procellæ. 485
Nec sinit audiri vocem fragor æquoris vllam.
Sponte tamen properant, alij sub ducere remos.
Pars munire latus, pars ventis vela negare.
Egerit hic fluctus, æquorq; refundit in æquor.
Hic rapit antennas, quæ dum sine lege geruntur, 490
Aspera crescit hyems, omniq; a parte feroces
Bella gerunt venti, fretaq; indignantia miscent.
Ipse pauet, nec se quis sit status, ipse fatetur
Scire ratis Rector, nec quid iubeatve, velitve.
Tanta mali moles, tantoq; potentior arte est. 495
Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes.
Vndarũ in cursu grauis vnda, tonitribus Aether.
Fluctibus erigitur, cœlumq; æquare videtur
Pontus, & inductas aspergine tangere nubes.
Et modo cum fuluas ex imo vertit arenas, 500
Concolor est illis, stygia modo nigrior vnda,
Sternitur interdum, spumisq; sonantibus albet.
Ipsa quoq; his agitur vicibus Trachinia puppis.
Et nunc sublimis veluti de vertice montis
Despicere in valles, imumq; Acheronta videtur. 505
Nunc vbi demissam curuum circunstetit æquor,
Suspicere inferno summum de gurgite cœlum.
Sæpe dat ingentem fluctu latus icta, fragorem.
Nec leuius pulsata sonat, quam ferreus olim

510 Cum laceras Aries, Balistaue, concutit arces.
Vtq; solent sumptis incursu viribus, ire
Pectore, in arma feri, protentaq; tela Leones,
Sic vbi se ventis commiserat vnda coortis,
Ibat in arma ratis, multoq; erat altior illis.
515 Iamq; labant cunei, spoliataq; tegmine cæræ
Rima patet, præbetq; viam letalibus vndis.
Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres.
Inq; fretum credas totum descendere cœlum,
Inq; plagas cœli tumefactum scandere Pontum.
520 Vela madent nimbis, & cum cœlestibus vndis
Aequoreæ miscentur aquæ, caret ignibus Aether,
Cæcaq; nox premitur tenebris hyemisq;, suisq;,
Discutiunt tamẽ has, præbentq; micantia lumen
Fulmina, fulmineis ardescunt ignibus vndæ.
525 Dat quoq; iam saltus intra caua texta carinæ
Fluctus, & vt miles numero præstantior omni
Cum sæpe assiliit defensæ mœnibus vrbis,
Spe potitur tandem, laudisq; accensus amore
Inter mille viros, murum tamen occupat vnus,
530 Sic vbi pulsarunt celsi latera ardua fluctus,
Vastius insurgens decimæ ruit impetus vndæ.
Nec prius absistit fessam oppugnare carinam,
Quam velut in captæ descendat mœnia nauis.
Pars igitur tentabat adhuc inuadere Pinum.
535 Pars maris intus erat, trepidãt haud segnius omẽs.
Quam solet vrbs, aliis murũ fodientibus extra,
Atq; aliis murum trepidare tenentibus intus.
Deficit ars, animiq; cadunt, totidemq; videntur
Quot veniunt fluctus, ruere, atq; irrũpere mortes,
540 Non tenet hic lachrymas stupet hic, vocat ille beatos

Funera, quos maneant, hic votis numen adorat,
Brachiaq; ad cœlũ, quod non videt, irrita tollens
Poscit opem, subeunt illi, materq;, paterq;.
Huic cũ pignoribus domus, & q̃d cuicq; relictũ est,
Alcyone Ceyca mouet, Ceycis in ore 545
Nulla nisi Alcyone est, & cum desyderet vnam,
Gaudet abesse tamen, patriæ quoq; vellet ad oras
Respicere, inq; domum supremos vertere vultus.
Verum vbi sit nescit, tanta vertigine Pontus
Feruet, & inducta piceis e nubibus vmbra 550
Omne latet cœlum, duplicataq; noctis imago est.
Frangitur incursu nimbosi turbinis arbor.
Frangitur & regimen, spoliisq; animosa superstes
Vnda velut victrix, sinuataq; despicit vndas.
Nec leuius, quã si quis Athon, Pindũq; reuulsos 555
Sede sua, totos in apertum euerteret æquor,
Præcipitata cadit, pariterq; & pondere, & ictu,
Mergit in ima ratem, cum qua pars magna virorũ
Gurgite pressa graui, neq; in aera reddita, fato
Functa suo est, alij partes, & membra carinæ 560
Trunca tenẽt, tenet ipse manu, qua sceptra solebat,
Fragmina nauigij Ceyx, socerumq;, patremq;
Inuocat (heu) frustra, sed plurima nantis in ore
Alcyone coniux, illam meminitq;, refertq;.
Illius ante oculos, vt agant sua corpora fluctus, 565
Optat, & exanimis manibus tumuletur amicis.
Dum natat, absentẽ, quoties sinit hiscere fluctus,
Nominat Alcyonen, ipsisq; immurmurat vndis.
Ecce super medios fluctus, niger arcus aquarum
Frangitur, & rupta mersum caput obruit vnda. 570
Lucifer obscurus, nec quem cognoscere posses,

Illa nocte fuit, quoniamq; excedere cœlo
Non licuit, densis texit sua nubibus ora.
Aeolis interea tantorum ignara malorum
575 Dinumerat noctes, & iam quas induat ille,
Festinat vestes, iam quas vbi venerit ipse,
Ipsa gerat, reditusq; sibi promittit inanes,
Omnibus illa quidem superis pia thura ferebat,
Ante tamen cunctos Iunonis templa colebat,
580 Proq; viro, qui nullus erat, veniebat ad aras,
Vtq; foret sospes coniux suus, vtq; rediret
Optabat, nullamq; sibi præferret, at illi
Hoc de tot votis poterat contingere solum.
At dea non vltra pro functo morte rogari
585 Sustinet, vtq; manus funestas arceat aris,
Iri meæ dixit fidissima nuncia vocis,
Vise soporiferam somni velociter aulam,
Extinctiq; iube Ceycis imagine mittat
Somnia ad Alcyonen veros narrantia casus,
590 Dixerat, induitur velamina mille colorum
Iris, & arquato cœlum curuamine signans
Tecta petit iussi sub nube latentia regis.
Est prope Cimmerios longo spelunca recessu
Mons cauus, ignaui domus, & penetralia somni,
595 Quo nunquã radiis oriens, medius ve, cadens ve,
Phœbus adire potest, nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæq; crepuscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Euocat auroram, non voce silentia rumpunt,
600 Sollicitive canes, canibus ve sagacior anser.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve sonum reddunt conuitia linguæ.

Muta quies habitat, saxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ Lethes, per quē cum murmure, labens
Inuitat somnos crepitantibus vnda lapillis. 605
Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeræq; herbæ, quarum de lacte, soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.
Ianua ne verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota, custos in limine nullus, 610
At medio torus est Hebeno sublimis in antro
Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus,
Quo cūbat ipse deus membris langore solutis.
Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana iacent, totidem quod messis aristas, 615
Sylua gerit frondes, eiectat littus arenas.
Quo simul intrauit, manibusq; obstantia, virgo
Somnia dimouit, vestis fulgore reluxit
Sacra domus, tardaq; deus grauitate iacentes
Vix oculos tollens, iterumq;, iterūq;, relabens, 620
Summaq; percutiens nutanti pectora mento
Excussit tandem sibi se, cubitoq; leuatus
Quid veniat (cognouit enim) scitatur, at illa.
Somne quies rerum, placidissime somne deorum.
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris 625
Fessa ministeriis mulces, reparasq; labori,
Somnia, quæ veras æquant imitamine formas,
Herculeam Trachina iube sub imagine regis,
Alcyonen adeant, simulacraq; naufraga fingant.
Imperat hoc Iuno, post, quam mandata peregit, 630
Iris abit, neq; enim vlterius tolerare soporis
Vim poterat, labiq; vt somnum sensit in artus,
Effugit, & remeat, per quos modo venerat arcus.

At pater e populo natorum mille suorum
635 Excitat artificem, simulatoremq; figuræ
Morphea, non illo iussos solertius alter
Exprimit incessus, vultũq;, sonumq; loquendi.
Adiicit & vestes, & consuetissima quæq;
Verba, sed hic solos homines imitatur, at alter
640 Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens.
Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat, est etiam diuersæ tertius artis
Phantasos, ille in humũ, saxũq;, vndãq;, trabẽq;,
Quæq; vacant anima, fallaciter omnia transit.
645 Regibus hi, ducibusq;, suos ostendere vultus
Nocte solent, populos alij, plebemq; pererrant.
Præterit hos senior, cunctisq; e fratribus, vnum
Morphea, qui peragat Thaumãtidos edita, somnus
Elígit, & rursus molli langore solutus,
650 Deposuitq; caput, stratoq; recondidit alto.
Ille volat, nullos strepitus facientibus alis
Per tenebras, intraq; moræ breue tẽpus, in vrbem
Peruenit Aemoniam, positisq; e corpore, pennis
In faciem Ceycis abit, sumptaq; figura
655 Luridus, exanimi similis, sine vestibus vllis
Coniugis ante torum miseræ stetit, uda videtur
Barba viri, madidisq; grauis fluere vnda capillis,
Tum lecto incumbens fletu super ora profuso
Hæc ait, agnoscis Ceyca miserrima Coniux?
660 An mea mutata est facies nece? respice, nosces,
Inueniesq; tuo pro coniuge coniugis vmbram.
Nil opis Alcyone nobis tua vota tulerunt.
Occidimus, falso tibi me promittere noli.
Nubilus Aegæo deprendit in æquore nauem

Auster,& ingenti iactatam flamine soluit. 665
Oraq; nostra tuum frustra clamantia nomen
Implerunt fluctus,non hæc tibi nunciat autor
Ambiguus,non ista vagis rumoribus audis.
Ipse ego fata tibi præsens mea naufragus edo.
Surge age,da lachrymas,lugubriaq; indue,nec me 670
Indeploratum sub inania tartara mitte.
Adiicit his vocem Morpheus,quam coniugis illa
Crederet esse sui,fletus quoq; fundere veros
Visus erat,gestumq; manus Ceycis habebat.
Ingemit Alcyone,lachrymas mouet,atq; lacertos 675
Per somnum,corpusq; petens,amplectitur auras.
Exclamatq; mane,quo te rapis? ibimus vna.
Voce sua,speciecq; viri,turbata,soporem
Excutit,& primo si sit,circunspicit illic,
Qui modo visus erat(nam moti voce ministri 680
Intulerant lumen)post,quã non inuenit vsquam,
Percutit ora manu,laniatq; a pectore vestes.
Pectoraq; ipsa ferit,nec crines soluere curans
Scindit,& altrici,quæ luctus causa,roganti,
Nulla est Alcyone,nulla est ait,occidit vna 685
Cum Ceyce suo,solantia tollite verba.
Naufragus interiit,vidi,agnouiq;,manusq;,
Et discedentem cupiens retinere,tenenti
Vmbra fuit,sed & vmbra tamẽ manifesta,viriq;
Vera mei,non ille quidem,si quæris,habebat 690
Assuetos vultus,nec quo prius ore nitebat.
Pallentem,nudumq;,& adhuc humente capillo
Infœlix vidi,stetit hoc miserabilis ipso
Ecce loco,& quærit vestigia si qua supersint.
Hoc erat,hoc animo quod diuinante timebam, 695

Et ne me fugiens ventos sequerere, rogabam.
At certe vellem, quoniam periturus abibas,
Me quoq; duxisses, fuit ah, fuit vtile, tecum
Ire mihi, neq; enim vitæ de tempore quicquam
700 Non simul egissem, nec mors discreta fuisset.
Nunc absens perij, iactor quoq; fluctibus absens.
Et sine me, te Pontus habet, crudelior ipso
Sit mihi mens pelago, si vitam ducere nitar
Longius, & tanto pugnem superesse dolori.
705 Sed neq; pugnabo, nec te miserande relinquam.
Et tibi nunc saltem veniam comes, inq; sepulchro
Si non vrna, tamen iunget nos littera, si non
Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam,
Plura dolor prohibet, verboq; interuenit omni
710 Plangor, & attonito gemitus a corde trahuntur.
Mane erat, egreditur tectis ad littus, & illum
Mœsta locum repetit, de quo spectarat euntem.
Dumq; moratur ibi, dũq; hinc retinacula soluit.
Hoc mihi discedens dedit oscula littore dixit.
715 Dumq; notata oculis reminiscitur acta, fretumq;
Prospicit, in liquida spacio distante tuetur
Nescio quid quasi corpus, a qua, primoq; quid illud
Esset, erat dubium, post, quã paulũ appulit vnda,
Et quamuis aberat, corpus tamen esse liquebat
720 Quis foret ignorãs, quia naufragus, omine mota est,
Et tanq̃ ignoto lachrymas daret, heu miser, inquit,
Quisquis es, & si qua est coniux tibi, fluctibus actũ
Fit propius corpus, quod quo magis illa tuetur,
Hoc minus, & minus est mẽtis, iam, iãq;, propinquæ
725 Admotum terræ, iam quod cognoscere posset,
Cernit, erat coniux, ille est exclamat, & vna

Ora, comas, vestem, lacerat, tendensq; trementes
Ad Ceyca manus, sic o carissime coniux?
Sic ad me miserande redis? ait, adiacet vndis
Facta manu moles, quæ primas æquoris vndas 730
Frangit, & incursus quæ prædelassat aquarum.
Insilit huc, mirumq; fuit potuisse, volabat.
Percutiensq; leuem modo natis aera pennis,
Stringebat summas ales miserabilis vndas.
Dumq; volat, mœsto similem, plenũq; querelæ 735
Ora dedere sonum, tenui crepitantia rostro.
Vt vero tetigit mutum, & sine sanguine corpus,
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida nequicquam duro dedit oscula rostro.
Senserit hoc Ceyx, an vultum motibus vndæ 740
Tollere sit visus, populus dubitabat, at ille
Senserat, & tandem superis miserantibus, ambo
Alite mutantur, fatis obnoxius iisdem.
Tunc quoq; mansit amor, nec coniugale solutũ est
Fœdus in alitibus, coeunt, fiuntq; parentes, 745
Perq; dies placidos, hyberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis,
Tum via tuta maris, ventos custodit, & arcet
Aeolus egressu, præstatq; nepotibus æquor.
Hos aliquis senior circum freta lata volantes 750
Spectat, & ad finem seruatos laudat amores.
Proximus, aut idem, si fors tulit, hic quoq; dixit
Quẽ mare carpentem, substrictaq; crura gerentem
Aspicis, ostendens spaciosum in guttura mergum,
Regia progenies, & si descendere ad ipsum 755
Ordine perpetuo quæris, sunt huius origo
Ilus, & Assaracus, raptusq; loui Ganymedes,

Laomedonq; ſenex, Priamusq; nouiſſima Troiæ
Tempora ſortitus, frater fuit Hectoris iſte,
760 Qui niſi ſenſiſſet prima noua fata iuuenta,
Forſitan inferius non Hectore nomen haberet,
Quamuis eſt illum proles enixa Dymantis
Aeſacon vmbroſa furtim peperiſſe ſub Ida
Fertur Alyxothoe gracili conata bicorni,
765 Oderat hic vrbes, nitidaq; remotus ab aula
Secretos montes, & inambitioſa colebat
Rura, nec Iliacos cœtus, niſi rarus adibat.
Non agreſte tamen, nec inexpugnabile amori
Pectus habens, ſyluas captatam ſæpe per omnes
770 Aſpicit Heſperien patria Cebrenida ripa
Iniectos humeris ſiccantem ſole capillos.
Viſa fugit Nymphe, veluti perterrita fuluum
Cerua Lupum, longeq; lacu deprenſa relicto
Accipitrem fluuialis Anas, quã Troius Heros
775 Inſequitur, celeremq; metu, celer vrget amore.
Ecce latens herba Coluber, fugientis adunco
Dente pedem ſtrinxit, virusq; in corpore liquit.
Cum vita ſupreſſa fuga eſt, amplectitur amens
Exanimem, clamatq;, piget, piget eſſe ſecutum.
780 Sed non hoc timui, nec erat mihi vincere tanti.
Perdidimus miſerã nos te duo, vulnus ab angue,
A me cauſa data eſt, ego ſum ſceleratior illo,
Qui tibi morte mea mortis ſolatia mittam.
Dixit, & e ſcopulo, quem rauca ſubederat vnda,
785 Decidit in Pontum, Tethys miſerata cadentem
Molliter excepit, nantemq; per æquora pennis
Texit, & optatæ non eſt data copia mortis.
Indignatur amans inuitum viuere cogi,

Obstaricq; animæ misera de sede volenti
Exire, vtq; nouas humeris assumpserat alas 790
Subuolat, atq; iterum corpus super æquora mittit.
Pluma leuat casus, furit Aesacus, inq; profundum
Pronus abit, leticq; viam sine fine retentat.
Fecit amor maciem, longa intermodia crurum.
Longa manet ceruix, caput est a corpore longe. 795
Aequor amat, nomēq; manet, quia mergitur illo.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. XII.

NESCIVS assumptis Priamus pater Aesacon alis
Viuere, lugebat, tumulo quoq; nomen habenti
Inferias dederat cū fratribus Hector
Defuit officio Paridis præsentia tristi, (inanes,
Post modo qui rapta longū cum coniuge bellum 5
Attulit in patriam, coniuratæq; sequuntur
Mille rates, gentisq; simul commune Pelasgæ.
Nec dilata foret vindicta, nisi æquora sæui
Inuia fecissent venti, Bœotaq; tellus
Aulide piscosa, puppes tenuisset ituras. 10
Hic patrio de more, Ioui cum sacra parassent,
Vt vetus accensis incanduit ignibus ara,
Serpere Cœruleum Danai videre draconem
In platanū, cœptis quæ stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrū bis quattuor arbore summa, 15
Quas simul, & matrē, circum sua damna volantē
Corripuit serpens, auidaq; recondidit aluo.